moueri se summo conamine inte-
rent. ultra accedere non
valentes ridicula in verti-
gine rotabant. donec victi
corporis onus deponunt atto-
niti et semet inuicem asper-
tantes quidnam sibi accidisset
taciti cogitabant Sed cum beatus
vir comperisset exequiarum
esse illam frequenciam non sa-
crorum eleuata rursum ma-
nu dat eis abeundi et tol-
lendi corporis potestatem
Ita eos et cum voluit stare
compulit et cum libuit ab-
ire permisit 10

Cum in vico quodam
templum antiquissimum diruisset
et arborem pinum que fano
erat proxima esset aggressus
excidere. tum vero antistites
loci illius ceteraque gentilium
turba cepit obsistere Et
cum idem illi dum templum
euertitur imperante domino
quieuissent succidi arborem
non paciebantur Ille eos
sedulo commonere nichil esse
religionis in stipite deum po-
cius cui seruiret ipse seque-
rent arborem illam excidi
oportere quod esset demo-
ni dedicata Tunc unus ex
hiis qui erat audacior ce-
teris si habes inquit aliquam
de deo tuo quem dicis te colere
fiduciam nosmetipsi succidimus
hanc arborem tu ruentem
excipe Et si tecum est tuus
ut dicis dominus euades Tum
ille intrepide confisus in
domino facturum se pollicetur
Hic vero ad istiusmodi con-
dicionem omnis illa gentilium
turba consentit facilemque
arboris sue habuere iac-
turam si inimicum sacrorum suorum
casu illius obruissent Itaque
cum una in parte pinus illa
esset acclinis ut non esset
dubium quam in partem succisa
corrueret eo loco vinctus
statuitur pro arbitrio rusticorum
quo arborem esse casuram
nemo dubitabat Succidere
igitur ipsi suam pinum cum ingenti
gaudio leticiaque ceperunt
Aderat eminus turba mi-
rancium iamque paulatim
nutare pinus et ruinam
suam casura minitari Palle-
bant eminus monachi et
periculo iam propiore conter-
riti spem omnem fidemque per-
diderant solam martini mor-
tem expectantes At ille
confisus in domino intrepidus
opperiens cum iam fragorem
sui pinus concidens edidisset

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 227v – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/fr/vad/0070/227v)